

summaria, ac etiam gratis, pleraque contentiosa negotia tractat, ac decidit, ad ipsam visitationem pertinentia, siue percutientia obseruantiam eius decretorū;

- 4 Quandoque verò committitur V. Gerenti tanquam iudici ordinario, & executori decretorum eiusdem Congregationis, vt in forma iudiciaria, Partibus auditis, procedat; Siue ipsemet, vna Partium instante tanquam Iudex & exequutor, vt supra, id peragit.

5 Visitatio autem personalis, seu materialis Ecclesiarum, seu locorum ecclesiarum, aut piorum, explicabilis non est per ipsam Congregationem, cum eamore aliarum iuxta negotiorum qualitatem, vel casuum contingentiam, aliquibus anni temporibus habeatur, recipiendo relationes visitatorum particularium qui ab eadē deputati sint, siue eisdem deputando, aliaque decreta, vel provisiones faciendo; Visitatio itaq; localis fit in Vrbe per vnum ex Cardinalibus eiusdem Congregationis, cui adiungitur vnus ex Prælati iuxta distributionem factam ab eadem Congregatione; Illa verò Ecclesiarum districtus fieri solet per plures Prælatos ab eadem Congregatione distributos, atque ad id peragendum assumi solent illi Prælati, qui fuerunt Episcopi, deindeque dimisso Episcopatu morantur in Curia, siue etiā Episcopi actuales qui occasione visitationis liminum, seu aliās in Curia ad aliquod tempus morentur, tanquam in hoc munere versati; Ac etiam eidem Congregationi Pontifex remittere solet aliqua, grauiora negotia spectantia ad idem munus Episcopale, puta circa Monasteria, Monialium, & similia, quando videatur quod non sint negotia quæ expediat petraçtari in Tribunali Vicarij in forma iudiciali, sed quod potius cum regulis prudentialibus terminari debeant ab ista Congregatione in forma extraiudiciali, super quo certa regula generalis dari non potest, cum totum pendeat ab arbitrio Papæ.

De Congregatione super consultatione negotiorum statu ecclesiastici, quæ consulta dicitur.

S V M M A R I V M.

- 1 **Q**uæ sint Congregationes concernentes regimen Principatus temporalis.
- 2 De erectione huius Congregationis Consulta, & ex quibus constituatur.
- 3 De munere Prælatorum, qui in ea interueniunt.
- 4 In quibus diebus habeatur.
- 5 Etiam tempore Sedis Papalis vacationis, & à quibus habeatur.
- 6 Circa quæ versetur huius Congregationis munus.
- 7 Quomodo ipsa consulti soleat ac debeat per Gubernatores ac Præsides.
- 8 De aliquibus eius constitutionibus, vel decretis.
- 9 Quare Rector non tractet materias criminales.
- 10 De causis ciuilibus quas cognoscit, & decideat.
- 11 De eodem, & circa negotia politica.
- 12 Cognoscit etiam de questionibus consensuum.
- 13 Audit recursus vassallorum aduersus Barones.
- 14 Quare in Statu Ecclesiastico non detur in Baronibus mala præsumptio concussionis.
- 15 Est tribunal seculare, & quomodo aliquando se ingerit cum ecclesiasticis.
- 16 Ad quæ loca se extendant facultates, huius Congregationis.
- 17 De huius Congregationis Præsede.
- 18 Quod omnia explicentur gratis.

DISC. XXV.

Illæ Congregationes, de quibus actum est supra, concernunt regimen spirituale, seu pontificiū; Ecclesiæ vniuersalis, vel respectiue particularis Vrbe; Ista verò, & aliæ sequentes antequam ad forensia Tribunalia deueniatur, respiciunt regimen temporale Status ecclesiastici, ideoque dicuntur Tribunalia secularia, quauis eorum

rum aliquibus, specialiter per Papam, iure cuiusdam delegationis, communicata esset aliqua potestas, etiam cum ecclesiasticis.

Erecta igitur fuit in pluries enuntiatâ Constitutione Sixti V. A, ista Congregatio, quæ tamen diuersam habet formam ab ea, quæ in dictâ Constitutione legitur; Constituta siquidem est ex copioso numero Cardinalium, ad hoc, ut alijs impeditis, nunquam desit aliquis eorum numerus competens, cum Secretario, qui est ut plurimum qualificatus Prælati, istudque reputatur munus, ex magis considerabilibus, adeo ut nostra ætate, sub Innocentio X., & Alexandro VII., duos ab eo munere ad purpuram euectos viderimus; Ac etiam, ultra dictum Secretarium & Aduocatum fisci, nec non Procuratorem generalem in criminalibus, qui Fiscalis Urbis per antonomasiam dicitur, ad differentiam aliorum Procuratorum fiscalium inferiorum; Plures interueniunt Prælati, qui pariformiter cû Cardinalibus votum habent decisiuum; Istiq; frequentius esse solent illi, qui plurâ gubernia exercuerint, tanquam in eo munere versati; Atque illorum munus est idem quod insinuatum est supra, agendo de Congregatione Immunitatis ecclesiasticæ, quod scilicet, cum ad istam Congregationem, per Gubernatores, ac Præsides transmitti soleant voluminosi processus criminales, qui attentè videndi, atque in plena Congregatione referendi sunt, neque id Cardinalibus congruat; Tum ob alias occupationes; Tum etiam ob maiestatem dignitatis, ut in insinuato loco quoq; aduertitur; Hinc proinde, id commissum est Prælati, inter quos distributæ sunt prouinciæ, seu gubernia respectiue, adeo ut quilibet se ingerat in negotijs pertinentibus ad sibi commissam prouinciam, quæ vulgo *Ponenstia* dicitur.

Congregatur in Palatio Apostolico Indeficienter bis qualibet hebdomada, in fixis diebus martis, & veneris de mane, quocumque impedimento non obstante, & quamuis in ea die magnam solemnitatem celebrare oporteat; Duabus tantum, totius anni diebus exceptis, nempe feria sexta pasche, seu passionis Do-

mini, & in vltima die carnis priuij.

Quinimò, singulariter ad omnes alias Congregationes Cardinalitias, neque intermittitur de tempore Sedis Papalis vacantis, quando Cardinales reclusi sunt in conclau, quoniam tenetur per solos Prælatos & alios officiales vsupra, resolutiones verò in grauioribus negotijs, per Secretarium, participari solent (iuxta stylum aliorum grauioribus negotiorum) illis tribus Cardinalibus, qui ea die, vices totius Collegij explent, & qui Capita ordinum dicuntur, ut supra agendo de Clau aduertitur. B

Præcipuæ igitur partes huius Congregationis sunt, non solum recipiendi recursus, & quærelas subditorum aduersus Gubernatores, & Præsides, eorumque Locumtenentes, ac Notarios, & Baricellos, aliosque officiales; Tam durante officio, ne subditi grauentur, vel opprimantur, siue adstringantur ad illa emolumenta, quæ de iure indebita sint; Quàm etiam finito officio, super eorum sindicatibus, quando vna Partium, à sindicatibus se grauatam credat, siue super modo dandi sindicatum.

Verùm etiam, ac potissimum in eo, quod Gubernatores, ac Præsides, tenentur eam certiorare, & consulere de omnibus causis criminalibus grauius, in quibus intret pena ordinaria, vel etiã extraordinaria grauis, corporis afflictiva, tam vera contra presentes, qui infortijs habeantur, quàm ficta contra absentes in contumaciam; Quinimò aliquando, & frequenter, ea consulitur (Partibus recurrentibus) super ordine processus, & examinis, super modo scilicet transmittendi monitorium inquisitis absentibus, & an pœnæ, quæ in eo cominantur, proportionatæ sint delicto; Et respectu presentium, super modo examinis rigorosi, cum tormentis, & quæ species adhibenda sit, Potissimè verò disputari solet de illa, quæ omnium maior *Vigilia* dicitur, non nisi in atrocibus cadens.

Prout etiam, circa viatica commissariorum, & officialium, an ab accusatis, vel ab accusatoribus, seu adherentibus solui debeant; Et in summa super ijs omnibus, quæ bonum gubernium, rectamque iustitię administrationem concernunt,

nunt, ut subditorum oppressiõibus, ac molestijs indebitis, tam in ære, quàm in corpore occurratur.

Modus autem consulendi est, quod Gubernatores, vel eorum Locumtenentes criminales, compilato processu, seruatifque ijs, quæ de iure, vel de stylo seruanda sunt, transmittunt summarium processus; Secretario, seu Prælato Prouinciali, qui dicitur Ponens vsupra, cum eorũ voto; Atq; vbi Partium recursus adsit, in causis præsertim grauius, demãdari quãdoq; solet transmissio totius processus; Relatoq; voto in Congregatione, rescribitur, illud approbando, vel improbando, siue pœnam minuendo, & quandoque etiam augendo, pro criminum qualitate.

Idẽq; faciendum est, quando contingat, ut deueniat ad manus Curie ille, qui iam condemnatus est in contumaciam, adeo ut aliq; non sint partes Iudicis nisi in exequendo, facta recognitione personæ, quoniam licet bannum prodierit ex eiusdem Congregationis oraculo, & approbatione, adhuc tamen, illa consulenda est in exequutione; Istæque solent esse frequentiores disputationes, ob nullitates processus contumacialis, cum quibus exequutio condemnationum, euitari solet,

Hinc proinde, ad occurrẽdum his subterfugijs, atque ad instruendum Locumtenentes criminales, qui ex imperitia, huiusmodi nullitates committere solent, ipsa Consulta ædidit quædam decreta, siue instructiones, quæ circumferuntur impressæ, super modo citandi, aliaque acta oportuna gerendi; Super his autem, ac etiam super eiusdem Congregationis plerisque stylis particularibus, tam circa ordinaria, quàm etiã circa decisoria, (cû ista materia criminalis penè vbique ad leges ac stylos particulares locorum redacta videatur) mecum non est agere, dũ ex iam insinuatâ in proemio, iudiciorum ciuiliũ, & ecclesiasticarum causarũ occupationes, ac etiam genium, & quidam Curie stylus, prohibuerunt criminales causas agere.

Bene tamen in ista Congregatione frequenter disputauimus graues causas ciuiles, percutientes Ciuitatum, ac oppidorum, & locorum, bonum regimen politicum (cũ de economico agat altera Congregatio Boni Regiminis, de qua *disc. seq.*) Vbi scilicet agatur de consilijs, vel parliamentis pro confectione bussoli, ex quo extrahẽdi sunt magistratus; Aut vbi agatur de controuersijs præeminentialibus, circa præcedentiã, aliosq; actus honorificos Et in summa ista Congregatio inuigilat super ijs omnibus, ex quibus, tumultus, vel inimicitia, aut alia incõuenientiã resultare valeant, tanquam Tribunal politicum, quod inuigilat, non solum super punitione criminum iam patrorum, sed etiã super præseruatiua ne committantur, siue ne sequantur occasiones, & concussiones tam ab ad officialibus, quàm etiam à potentibus, ne minus potentes opprimant, vel concutiant. C

Est quidem Tribunal vigilantissimũ, nimiumque proficuum pro bono subditorum regimine, ac iustitię administratione in præmissis negotijs, quæ publicam quietem, illudque ciuile regimen, quod de polytico participat, cõcernant, cum in causis ciuilibus merè priuatis, non se ingerat, sed intrent Iudices appellatiõnis; Nisi agatur de talibus causis, ex quibus scandala, & inconuenientia resultare possint, cum præiudicio publicæ quietis; Ut puta (ex gr.) vbi agatur de quæstione confinium, inter duo loca, aut inter duos Barones, cum similibus; Quàmuis etenim adsit Congregatio particularis confinium, ut infra; Quia tamen ea rarò haberi solet, adeo ut penè ignota sit in Curia, idcirco ista Congregatio, ex dicto motiuo occurrẽdi inconuenientibus, quandoque manus apponit. D

Audit etiam libenter, atque cum summa vigilantia, recursus & quærelas vassallorum aduersus Barones & Domicellos, eorumque officiales; Quinimò quãdoque praxis me docuit, iuxta Pontificis, seu Cardinalis superintendentis gener-

C. de his quæstionibus sub tit. de præeminent. disc. 30. & 31. & in supplemento eod. tit.

D. in quæstione quæ habetur apud Pacci-chell. in tract. de distantia cap. 11. & decis. 34. post eundem;

neralis, genium, ac maiorem, vel minorem zelum, quod etiam ex officio inquirere solet super concussionibus vassalorum, qui recurrere vel reclamare non audeant; Ideoque ob hanc vigilantiam, pluries Rota respondere cōsuevit, quod in Statu ecclesiastico, nō intrat illa vsurpationis, vel concussionis p̄sumptio, quae in aliquorum principatum Baro- nibus cadere solet, vt alibi in suis sedi- bus aduertitur. E

Dicitur istud Tribunal merē saecula- re, quod gerit vices Principis tempora- lis, ideoque se non ingerit in causis, & personis ecclesiasticis; Bene verum, quod vbi in aliqua causa graui laicorū, vnius, vel plurium clericorum, vel aliarū ecclesiasticarum personarum, adsit mix- tura, vnde propterea; Vel ratione con- nexionis, iuxta regulas iuris, tota causa remitti debeat digniori foro ecclesiasti- co; Vel quod quolibet cognoscente suū subditum, ob causę diuiduitatem, adhuc tamen vnius processus possit alteri p̄- iudicare; Hinc per organum Secretarij vel Cardinalis sup̄intendentis genera- lis, fieri solet verbum cum Sanctissimo, atque ab eo obtineri potestas commit- tendi Gubernatori cognitionem causae, etiam cum personis ecclesiasticis; Potissi- mē quia licet huiusmodi Gubernatores, & Præsides, spectato munere sint Magi- stratus saeculares; Attamen attenda qua- litate personae sunt clerici, & Prælati, qui- bus propterea ista commissio non omni- nō, incongruit. F

Huius Congregationis facultates se- protendunt ad vniuersum Statum Eccle- siasticum immediatum, inclusa etiam Ciuitate Beneuentana; Excepta Vrbe, in cuius causis se non ingerit, dum habet suum Gubernatorem, qui ocurrentia negotia communicat cum Papa; Eo mo- do quo de alijs Congregationibus eccle- siasticis insinuatam est supra, agendo de Cardinali Vicario; Ac etiam se non in- gerit in illis prouincijs, vel ciuitatibus quae habeant Cardinales Legatos; In le- gationibus scilicet; Auenionensi; Bono- niensi; Ferrariensi; Vrbinate; Et Æmi- liae, seu Romandiolae.

Huius autem Congregationis Præse-

ctus est Cardinalis sup̄intendens gene- ralis, de quo supra est actum G ipseque 17 subscribit literas, & ordines, qui dan- tur Gubernatoribus, & Præsibus, alijs- que officialibus.

Omnia, pariter in ista Congregatione, gratis omnino explicantur, adeo vt ma- gni, penēque incredibiles sint labores, quos isti Prælati in dictorum processu studio, & relatione, alijsque negotijs pe- ragendis supportant, absque aliquo sti- pendio, vel emolumento, quod neque in- directe per viam munerū obtineatur, sed prò frequentiori Regula candidissimē. H

G. supra disc. 6.

H. insinuat in fr̄a disc. 31.



De Congregatione Boni Regiminis.

S V M M A R I V M

- 1 DE bonis directionibus Sixti V. & Clem. VIII. in Statu Ecclesiastico.
- 2 De erectione huius Congregationis, & ex quibus constat.
- 3 Quod ista sit filia alterius Congrega- tionis consultae.
- 4 De mala consuetudine nobilium, & li- teratorum viuendi super communi- tate.
- 5 Non possunt imponi gabellae vel collectae sine licentia huius Congregationis.
- 6 De solemnitatibus de iure requisitis in alienatione bonorum Communitatis.
- 7 De quibus causis ista Congregatio cogno- scat.
- 8 Est tribunal laicale inspecta eius origina- li

B. tit. de feud. disc. 65. & alibi pluries.

F. tit. benef. disc. 72. & alibi.